

P. MEMMIVS REGVLVS

(Zu PIR² vol. V fasc. 2)

LEIVA PETERSEN

P. MEMMIVS REGVLVS. *Tituli, qui partem cursus honorum exhibent, Latini Coloniae Iuliae Ruscino Espérandieu ILG 633 (1); Pergamenus III 7090 = D. 962 (2); Corinthius Corinth 8, 2 n. 53 (3), Graecus Delphicus D. 8815 = SEG 1,158 = Fouilles de Delphes 3, 1, 350 n. 532 (4). Alii tituli permulti fere omnes Graeca lingua concepti eum honorant in Graecia: Athenienses IG II/III² 4174 (5). 4175 (acephalus, 6). 4176 (7). 4177. 4178 (filio dedicati, 8. 9). 4179 (nomen solum exhibens, 10); Olympius Inschr. v. Olympia 337 = SEG 11, 1194 (11); Epidauri exedrae lapides IG IV² 1, 665 (12). 667 = IG IV¹ 912 et rectius suppletus a Groag Achaia 26 (13). 669 (14); Macedoniae Latinus Ann. ép. 1915, 114 (15); Graecus Živa antika 9 (1959) 285 sqq. = Bull. ép. 74 (1961) n. 385 = SEG 19, 438 (16); Megarensis IG VII 87 (17); Thespiensis BCH 50 (1926) 443 n. 80 (18); Delius BCH 3 (1879) 158 (cognomen solum exhibens, 19). — Praeterea consul nominatur in fastis Ostiensibus I. I. 13, 1, 186/187. Nolanis l. l. 261 (20. 21). Arvalibus l. l. 299 (22); in diplomate missionis militum male descripto Salonitano III 2028 = 8753 (23); fistula plumbea Ariciae XIV 2174 (24); fragmenta adicimus Atheniensa columnae et baseos honorificae Hesperia 36 (1967) 96 n. 25. 26 = Ann. ép. 1967, 449. 450 (25. 26). — Postremo non obliviscendum est eum in actis Arvalium inter annos 38 et 60 apparere VI 2028 e. f. (27. 28). 2037 = 32352 (29). 2039 (30). 2040 = 32353 (31). 2041 (32). 2042 a (33) in vigintisex locis nomine saepe suppleto v. CIL VI 1 p. 587; deinde VI 32346 e 9 (34). 32347, 12 (35). 32351 (36). Denique in actis VI 2030 = Pasoli 14 n. 11 (37) (anni 40 potius quam 41, v. quod de anno disseruit S. Panciera Rend. Acc. Lincei 23, 1968, 15) nomen eius supplendum esse videtur. — Magna pars titulorum, quos hic afferimus, reperitur quoque apud Groag Achaia 25—30. In nonnullis titulis valde mutilis nomen et munera supplenda sunt. Tamen cum alteri alterum compares, omnes fere ad certum rediges; multi enim tituli eius honorifici aequo modo compositi sunt. — Ad eum non spectat t. Epidaurius IG IV² 668 neque III 7267 = D. 963, quod supposuit Mommsen.*

Nomen plenum eius maxima pars titulorum exhibit vel exhibuit nunc supplementorum, acta quoque Arvalium semper praenomen praebent; quod omittunt t. 10, Tac. ann. 12, 22; 14, 47, Dio, Iosephus, Memmius Hieron.-Eus., Regulus t. 19, Tac. ann. 5, 11, 1; 6, 4, 3; 14, 47, 1, C. Memmius errore Suet.

Cal. 25, 2. P. Mentinus Regulus t. 23. P. filius t. 4. 12. 14, praenomen patris suppleri potest t. 2. 3. 13. 15; quis pater fuerit, ignoramus neque tribum, in qua recensebatur, novimus, vix enim cum Memmiis aetatis reipublicae posterioris arta consuetudine coniunctus erat, quorum gens prior in Menenia, posterior in Galeria tribu inscripta erat. Illi praenominibus Lucius vel Caius, numquam autem Publius utebantur. — Probabiliter homo novus, quamquam munere trium pontificatum functus est, quod potius hominem nobilem indicare videtur; nova generis claritudo Tac. ann. 14, 47, 1. Honores publici eius raro solum in titulis attinguntur. — Ex Italia vel fortasse e Gallia Narbonensi ortus, ubi statua ei dedicatur cum titulo 1, cum ibi honore publico functus esse non videatur. Habes quoque C. Memmium Macrinum duovirum Massiliae V 7914 = D. 6761 aliosque Memmios eiusdem regionis. Praetereundum non est Lolliam Saturninam, sororem Lolliae Paulinae, uxoris eius de quo agimus, Valerio Asiatico Viennensi nupsisse; cf. quoque Memmiam Gallam, aviam Cottiae Gallae certe ex Alpibus ortae t. urb. D. 8343.

Quaestor Ti. Caesaris, *v. Cébeillac Quaestores principis n. XII*, [praetor] t. 1, consul fasti Ostienses, Nolani, Arvales t. 20. 21. 22, praeterea t. 1. 2. 3 (*suppletus*). 4, ὑπατικός in nonnullis titulis plerumque supplendis, qui eum honorant in provinciis, *v. infra*, t. 5. 14. 15, Tac., Dio. Consul suffectus erat anno 31 a kalendis Octobribus cum L. Fulcinio Trione *supra F 517* t. 20—22, Tac. ann. 5, 11, Dio 58, 9, 3; 13, 3, quo mense Tiberius Caesar Seianum ex altissimo dignitatis gradu praecepitavit t. 20, certe iussu Tiberii consul eo tempore factus, ut adiutor Macronis Seianum opprimeret. Mandata Tiberii de Seiano in curia una cum Macrone communicat die 18 mensis Octobris anni 31 Dio 58, 9, 3; epistolam imperatoris, qua Seianus accusatur, in curia recitat, Seianum, ut vincatur, provocat Dio 58, 10. Postea Capreas profectus est a Tiberio iussus, ut imperatorem tuto Romam comitaretur; tamen ab eo repulsus est, quamquam semper res et causam eius defenderat Dio 58, 13, 3. Exitu anni diu aucta discordia consulum erupit, cum a Trione collega, prius amico Seiani, segnis ad opimendos Seiani ministros oblique perstringeretur Tac. ann. 5, 11. Lacessitus collegam ut noxium coniurationis ad disquisitionem trahebat. Multis patrum orantibus odia posuerunt, sed tamen manserunt infensi ac minitantes, donec magistratu abirent *ib.* Anno sequente ab Haterio Agrippa *supra H 25* cum collega invaditur, cur mutua accusatione intenta nunc silerent. Manere tempus ultionis dixit seque coram principe esecuturum esse. Urgente Agrippa denique pax in senatu a Sanquinio Maximo restituta est et Regulo salus quae sita Tac. ann. 6, 4, 3. *Certe omni ratione in causa Seiani integer remansit.*

Anno 35 Poppaeo Sabino defuncto in administratione provinciarum Moesiae, Achaiae, Macedoniae successit legatus Augusti pro praetore Dio 58, 25, 5. Achaia et Macedonia ei eodem modo ut Sabino sorti non commissae adiectae sunt *ib.* Ibi consularis exercitum, *sine dubio legiones Moesiacas*, regebat Suet. *Cal. 25, 2 cf. titulum 23*, qui veterano ab eo misso legionis quintae Macedonicae in Dalmatia positus est. Manebat usque ad annum 44, *quo anno A. Didius Gallus exercitui Moesiaco praefuit v. supra D 70* et Achaia Macedoniae in dicionem senatus redierunt. Multis titulis honoratur in utraque provincia Graeca Athenis, Megaris, Olympiae, Delphis *v. t. 5—16*. Nomina provinciarum, quibus praefuit, semper reticentur. Praedicatur legatus Augusti pro praetore πρεσβευτὴς καὶ ἀντιπρότυγος sive Tiberii t. 5 sive Claudii (*Caligula omissio*) t. 3. 6. 17 sive

plerumque Augustorum τῶν Σεβαστῶν t. 2. 4. 9. 13. 15 sive Tiberii et Claudii t. 23. (Itaque non suppleas pro [vinciae Achaiae] sed pro [praetore] in fine tit. Cor. 3). Cum alii honores priores in titulis provinciarum honorificis non legantur, plerique eum consularēm (ὑπατικόν) et nonnulli pontificem trium sacerdotiorum dicunt (ἰερεὺς ἐν τρισὶν συστήμασι ἱερωσυνῷ) t. 4. 13, i. e. fratrem Arvalem, VII virum epulonum, sodalem Augustalem t. 15. Bene meritus esse videtur de societate gentium mediae Graeciae: T. Statilius enim Timocrates cum Lampria fratre curator fuit statuarum, quas Achaei Regulo dedicaverunt Epidauri t. 12; ipse autem Timocrates honoratus est ab Achaeis, Boeotis, Phocaicis, Euboeis, Locris, Doriis IG IV² 80 = Sylloge³ 796 A. — Εὐεργέτης in multis titulis.

Anno 38 (*post mortem Iuliae Drusillae*) ex provincia Romam a Caio imperatore evocatus cum Lollia Paulina *supra L* 328 nupta adulescentula eam imperatori despondere cogitur Dio 59, 12, 1. Qui facta mentione aviae eius ut quondam pulcherrimae perductam a marito coniunxit sibi Suet. Cal. 25, 2. A Caio Regulus impulsus est, ut uxoris suae patrem esse se scriberet *Eus.-Hieron. Chron.* 178 H. = Sync. p. 622 *Dind. De matrimonio eius et Lolliae Paulinae sub forma ἐγγυήσεως rite Athenensi facto* (Dio 59, 12, 1) v. E. Groag RE 15, 632 sq. et J. H. Oliver *Hesperia* 35 (1966) 152, qui *Lolliam Paulinam Regulo a Tiberio promissam esse proponit. Idem quoque legit* [Λολλίᾳν] Ποπλίου Μεμ[μι]ονού Πήγαλου τοῦ πρεσβευτοῦ τῶν [Σ]εβαστῶν καὶ ἀντίστροφής μνησάτην = *nuptam*] t. 7 v. *Hesperia ib.* 151. Dubitant J. et L. Robert Bull. ép. 80 (1967) 447 n. 195 = Ann. ép. 1967, 448.

Adest Romae in collegio fratrum Arvalium anno 38 t. 27, *sed certe iam prius cooptatus*, v. CIL VI p. 587 ([P. Me]mmius R[egulus]): mensibus Maio, Septembri, Octobri; anno 39 mense Februario t. 34 (P. M[emmius Regulus]); anno 40 t. 37, *in annum 40 magister electus esse videtur, sed alium fratrem [pro ma]gistro magisterii [P. Memmii Reguli] munere fungi faciunt, certe cum ipse in provincias revertat t. 35.*

Rursus in Achaia moratur sub finem regni Gaiani Ios. ant. 19, 8—10, item sub Claudio *tituli*. A Caio ante mortem eius iussus est signum dei Olympici Romam transferre, ut in Palatio poneretur. Recusavit autem mandata imperatoris perfidere causa interposita simulacrum in via detrimentum facere; Capitis damnationem vitavit morte Cai intercessa Ios. l. l., Dio 59, 28, 3 . 4. — *Corinthi aedificium, quod στοὰ Πρηγλανή appellatur, ei debetur Ann. ép. 1939, 110.*

Romam reversus anno 44 v. *supra* proconsul Asiae factus est t. 2 (*Pergamenus*), t. 4 (*Delphicus, ὑπατος Ἀσίας*) certe post annum 46, cum littera *Claudiana* utatur t. 2, fortasse ca. annum 47. Patronus Pergamenorum t. 2.

Conventibus fratrum Arvalium denuo interest anno 55 t. 36. VI 32352, anno 57 *Pasoli p. 116*, multies anno 58/59 t. 32. 33 = D. 229. 230, *Pasoli p. 117—119*, anno 60 *Pasoli p. 120*. — VIIvir epulonum, sodalis Augustalis, frater Arvalis iam antequam in provincias orientales abierat *tituli*, v. *supra*. — Anno 61 mortem obiit auctoritate, constantia, fama, in quantum praeumbrante imperatoris fastigio datur, clarus Tac. 14, 47, 1. Certe amicus imperatorum, qui ei confidebant ut Tiberius ita Caius et Claudius et denique Nero. Qui enim aeger valetudine circumstantibus respondisse dicitur, si quid fato pateretur, habere subsidium rem publicam potissimum in Memmio Regulo Tac. ib. Utrum ve-

rum hoc dictum tradatur an non, nescio; certe autem in hominibus, qui „capaces imperii“ nominabantur, numerandus est. Vixerat honoribus absolutis quiete defensus et quia nova generis claritudine neque invidiosis opibus erat *Tac. ib.* Nisi lacesseretur, modestiae retinens *ann. 5, 11.* — Praedia prope Ariciam possedit *fistula plumbea t. 24.*

Uxor Lolliae Paulina, quam sine dubio valde iuvenem duxit *v. supra*; filius C. Memmius Regulus certe *ex alia matre natus*, qui eum legatum Augusti in provincias Graecas comitatus est *t. 8, 9* et proconsulem in Asiam *t. 4*. Lolliae Paulinae, ab Agrippina reae, honori fuit quandam Memmio Regulo nuptam esse *Tac. ann. 12, 22*. Per eam familiaritate coniunctus est cum Volusiis, Valeriis, Calpurniis *Tac. ib., v. J. Colin Lat. 13 (1954) 406 sqq.* — Multae gentes Graecae gentilicium Memmius ab eo traxerunt, inter quos e. g. sacerdotes archontesque Delphorun *H. Pomtow Klio 17 (1921) 169 cum nota 1.* — *Praeter eos, quos supra nominavimus (t. 12), eum titulis honoraverunt Diocles sub pontificatu Iuniae Megistae t. 6, 7, Novius t. 5, Polyclitus t. 11, Crispus t. 17, populus Thessiensis t. 18.*